



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118790**

§. 100. Ostenda a Catholicis expugnata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII.  
A. C. 1604.  
gusti fame ad deditionem compulsi, pactis conditionibus, ut Præsidiarii pene quater mille cum armis, signis, impedimentis, tympanisque strepenti- bus emigrarent, ex quibus tamen potissimum cum ob omnium rerum penuriam nisi herbis, fevo, corio, foedisque animalibus victitare coacti fuissent, in itinere defecerunt.

## §. C.

*Ostenda a Catholicis expugnata.*

Interim Spinola Marchio ad Ostendam castra rediit, majoremque expugnandæ urbis spem concepit, dum munimentum, cui Erinacei nomen est, ruptis cuniculis ab Hispanis occupatum cognoverat; inde enim occulti subter humum meatus obsessores pervierant, Italique ac Belgæ Helmontis propugnaculum adorsi, cuniculum suffoderunt, qui ubi flammam in pyrio pulveris concepit, impositumque murum effecerunt, aperto idoneo ad irrumpendum hiatu in propugnaculum irruerunt, et absdubio potituri, nisi obsessi tormentis suis eos retrocedere coegissent, jectisque ignibus Belgarum aggeres, ceterosque labores evertissent: paulo post tamen Itali, Hispani ac Germani variorum hostium munimenta continuato profus-

vincendi ardore occupant, postremam, **Sæc. XVII.**  
 hancque infaustam eruptionem tentan- **A. C. 1604.**  
 tibus obsessis, qui, cum in extremas  
 redacti essent angustias, de facienda  
 deditione deliberarunt. Igitur Hertra-  
 nius Marquetus Urbis Gubernator, ne  
 maris violentia, ac infracta Catholico-  
 rum virtute iniquioribus pactis suorum  
 vitam redimere cogeretur, die vigesi-  
 ma Septembris proclamari iussit, ut de  
 deditione ageretur. Missis igitur utrin-  
 que obsidibus Marquetus dierum ali-  
 quot inducias postulabat, verum illas  
 omnino Catholici pernegarunt, jam nu-  
 per in eo sibi fraude impositum expro-  
 brantes: tormenta quoque ut avehere  
 secum liceret, rogantibus Ostendanis,  
 duo tantum fuere concessa. Tandem  
 in easdem, quibus Slusa dedita, con-  
 ventum est conditiones. Hic demum  
 Ostendanzæ obsidionis exitus fuit, in  
 qua ad tertium annum protracta in Al-  
 berti castris fato Martique concessere  
 plusquam septuaginta duo millia, ex  
 hostibus autem longe plura, haud alio  
 ferme Victorum compendio, quam  
 quod plusquam dimidiam Urbis partem  
 tormentorum ictibus, & maris flucti-  
 bus prostratam, atque in ruinis, saxo-  
 rumque fragmentis sepultam occupa-  
 rint, ac residuæ partis omnia sic quas-  
 fata disjectaque deprehenderint, ut

Gg 4

nec

Sæc. XVII. nec unicum quidem in veteri urbe  
A. C. 1604. etum nullumque prorsus parietem  
 constare compagibus mirarentur. Ta-  
 to impendio stabat piscatorii tugurii  
 verius arenariæ molis possessio, quam  
 tot sumptibus aquisierunt Hispani,  
 illis integra regna emere potuissent.

## §. CI.

*Res in Transylvania ob Religionis  
 dissensionem turbata.*

*Pet. de Reva cent. 6. de Monarch. Vid. Lib. CLXXXVI §. LXII.*  
 Postquam Georgius Basta Cæsarei  
 exercitus Imperator Transylvaniam ab  
 extero hoste liberaverat, dimicandum  
 ei erat cum incolis ac præcipue Pro-  
 testantibus, qui cognito Principum Aca-  
 tholicorum foedere adversus Cæsarem  
 inito horum potentia freti, suæ sectæ li-  
 bertatem armorum vi extorquere no-  
 liebantur, hac seditionis suæ causam  
 terposita, quod Episcopi aliique Præ-  
 fules in comitiis Posonii habitis arti-  
 culum de Protestantibus regno profecti-  
 bendis absque eorum præscitu promul-  
 gassent: Horum igitur ausus, ut tem-  
 pestive reprimere Basta, promulgato  
 dicto omnem alterius quam Catholice  
 Religionis usum inhibuit, utque Nobi-  
 libus Stephanopolitanis, & Claudio-  
 politanis, qui sua potentia in publicæ  
 tranquillitatis perniciem abutebantur,  
 turbas